



LECTORI CANDIDO

Salutem dicit Auctor.



n jure cognoscendo miram quandam, suavitatem delectationemque esse Romanæ ille eloquentiæ Parens CICERO de Orat. Lib. 1. Cap. 43. dixit. Nec sine causa, quid enim, Jurisprudentia jucundius? quid præstantius? quid ad Urbes, Regiones, Provincias conservandas magis necessarium? illam non unam, sed innumeras procreare utilitates certum; quas omnes si enumerare vellem, quam latissimus sese offerret campus: Cui non cognitum hac arte tot Viros illustres nomen suum immortalitati commendasse? per hanc artem Reges regnant & Principes decernunt Justitiam: quibus omnibus perceptis hac de causa huic operam navare institui, cumque jam eo pervenissem, ut per statuta Accademica ultimum decretum impetrandum cogitarem, perspectumque haberem nihil me dicturum quod non antea dictum, huic laudabili consuetudini morem gerere satius ducens, venit mihi in mentem expendere Legem Unicam Cod. Ut quæ defunt advocatis partium,

tium, judex suppleat, quæ locum haud sibi postremum inter alias leges vindicat, ipsius legis hæc sunt verba: IMP. DIOCLET. ET MAXIMIAN. AUGUSTI ET CC. AD HONORATUM. NON DUBITANDUM EST JUDICEM, SI QUID A LITIGATORIBUS, VEL AB HIS, QUI NEGOTIIS ADSISTUNT, MINUS FUERIT DICTUM, ID SUPPLERE, ET PROFERRE, QUOD SCIAT LEGIBUS ET JURI PUBLICO CONVENIRE. S. 16. KAL. MARTII, DIOCLETIANO 5. ET MAXIMIANO 4. A. A. CONSS. 293.

Magna fateor hæc sane materia, & supra vires; quippe commoditati ingenium, gravitati ætas, voluntati imperitia rei propositæ impedimento mihi sunt: tamen Candide Lector, spem magnam de te suscepi, eate, quæ hic offero, benigne accepturum, errata quæ insunt correcturum, & quæ deerunt pro humanitate suppleturum; omnium enim habere memoriam, & penitus in nullo peccare divinitatis magis quam mortalitatis est ut Imperator Justinianus in Lege 2. S. 14. Cod. de V. J. E. jam ante me observavit.

Quemadmodum autem sine ordine facta tanquam lectu non digna abjiciuntur; sic nos ordine ut omnia quantum in nobis efficiamus, opusculum nostrum in quatuor dispartendum capita censuimus. Ita ut primo capite tractem de origine legis quidve legi causam dederit, secundo capite pauca, priusquam ad ipsius legis verba transeam, de Advocatis occasione rubricæ præmittenda censeo, tertio curiosam illam diuque agitatam verum nondum decisam quæstionem absolvam: Rigor præferendusne æquitati, quarto denique capite ostendam quibus causis judex ab Advocatis omissa supplere possit, & sic hujus dissertationis finis futurus est.